



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

Symbolum XCIV. Neptunus, maris Deus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Cæterum meritò rident Arnobius & Lactantius supersticiosos gentium deos, quorum turpissima flagitia ipsorummet cultores promulgant & decantant. Re ipsa discimus ex Jove, in varias sese formas, fœdæ libidini explendæ vertentem, hominem huic vitio deditum, bestiarum affectus & figuras animo induere. Psaltes regius pronuntiat: *Homine cum in honore esset* (hoc est, dignitate proximè ad Deum accederet) *non intellexit* (nobilitatem suam) *comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* (obbruitit concupiscentiis obsequendo, & mores belluinos sequendo.) Diceres Irominam rectæ rationi obtemperando, & suas cupiditates in officio continendo, quasi quendam in cœlo Jovem esse: quam dignitatem quia brutis libidinibus subjecit, cum Jove in varias turpitudines, hoc est, bestias, & pudenda dedecora abiisse. Sed de hac transformatione alibi. Satis de Jove; ad Neptunum convertamur.

## SYMBOLUM XCIV.

Neptunus, maris Deus.

*Ex Variis.*

Ethicè.

1. Vigilantia Principis.
2. Fortitudo Principis.
3. Prudentia.
4. Justitia.
5. Severitas cum clementia.
6. Auctoritas.
7. Indulgentia nimia.
8. Prudentia militaris.
9. Sapiens magistratus.
10. Triplex mare, in quo jactamur.

**F**ilius, quod diximus, Saturni & Opis, Jovis frater erat Neptunus, quem cum parvulum genitor devorare vellet, mater puerum in ovili absconditum, opilionibus inter agnos educandum tradidit: ejusque loco pullum equinum fasciis involutum, quem se peperisse simulabat, Saturno deglutiendum obtulit. Hic in orbis totius divisione, maris regnum obtinuit; unde Deus est aquarum; & dicitur quasi *Nantunus*, à nando, ut vult Cicero lib. de nat. deor. Tribuitur ipsi scæptri vice *Tridens*, ferramentum tricuspdatum, idque ob tres orbis Terrarum (nam quarta posteriùs est inventa) partes, quas oceanus ambit.

Vel

Vel quod triplici polleat potestate seu facultate, scilicet tollendi æquoris, & placandi, & servandi. Vel quia dulcibus, salis, mediocribus aquis (quales sunt lacustres) imperet. Vxorem habuit *Amphitriten* (nomen hoc ab ἀμφιτριβειν, hoc est, à circumterendo, quod mare terram undique terat, & lancinet) multarum Nympharum matrem. Sunt autem Nymphæ deæ marinæ, quæ vocantur *Nereides* à *Nereo* & *Doride*, Neptuni filio & filia sic dictæ; Nympharum aliæ vocantur *Naiades*, vel *Naiades*, quæ sunt fontium & fluviorum præsidæ (væen enim fluere significat) & dulcibus immorantur aquis. Una ex præcipuis maris deabus *Thetis* est (seu *Tethys*) quam aliqui *Nerei* & *Doridis* filiam dicunt, uxorem *Oceani*, vel ipsius etiam *Neptuni*, scilicet secundariam. Amplissima est dei hujus familia, sive mares spectes, sive feminas, quos recenset mythographus lib. 2. c. 8. Nos ex Poëtis notiores memorabimus. Chorum ducit grandævus *Glaucus*, de quo *Maro*. 5. *Æneid*.

Et Senior *Glauci* chorus, Inoúsque *Palæmon*,  
*Tritonésque* citi, *Phoreíque* exercitus omnis,  
*Læva* tenens *Thetis*, & *Melite*, *Panopeáque* virgo,  
*Nisæe*, *Spio*que, *Thaliáque*, *Cymodocéque*.

Primo *Æneid*. mentio fit Nymphæ *Cymothoës*, ita dictæ, quod per fluvios discurrat. Lib. 10. meminit poëta *Cymodoces*, vel *Cymodocea*, quæ fandi doctissima. *Panope*, vel *Panopea* nominatur à perspicuitate visus. *Nisæa* πῶσι τῶ νέω, à natando. *Spio* à speluncis marinis, nam σπείον specus. *Melite* à dulcedine. *Glaucus* porrò piscator erat, is cum pisces captos in ripa explicuisset, ii subito contactu cujusdam herbæ se colligentes, in fluvium profilierunt. Admiratus *Glaucus* herbæ illius vim, cum eam & ipse degustasset, pisces secutus, in aquam insiliit, marisque Deus factus est. *Triton* est tubicen seu buccinator *Neptuni*, qui conchâ seu cochleâ marina tortili personat æquora. Hujus superior pars corporis ad umbilicum usque fuit hominis: at inferior usque ad caudam, delphini: duos pedes priores equinos habuisse dicitur, caudamque duplicem in lunæ formam: vehique in curru ab equis cœruleis tracto. Fabulantur, inventam ab ipso concham, & ad bellum allatam, quod susceptum est adversus Gigantes, quam cum inflâset, & inauditum antehac sonum edidisset, illi immanem aliquam belluam ac formidabilem rati, se in fugam verterunt, facilémque diis victoriam concessere. *Tritonis* habitum & officium eleganter describit *Ovidius* lib. 1. *Metam*.

----- positoque tricuspide telo

Mulcet aquas Rector pelagi: supraque profundum

Exstantem

Exstantem, atque humeros innato murice tectum  
 Cœruleum Tritona vocat; conchamque sonacem  
 Inspirare jubet: fluctusque & flumina signo  
 Jam revocare dato. Cava buccina sumitur illi  
 Tortilis, in latum quæ turbine crescit ab imo:  
 Buccina, quæ medio concepit ut aëra ponto,  
 Littora voce replet sub utroque jacentia Phœbo.  
 Tum quoque ut ora dei madidâ rorantia barbâ  
 Contigit, & cecinit iustos inflata receptus,  
 Omnibus audita est telluris & æquoris undis:  
 Et quibus est undis audita, coërcuit omnes.

De eodem Claudianus in nuptiis Honorii

----- prorumpit gurgite torvus  
 Semifer: undosi velabant brachia crines:  
 Hispida tendebant bifido vestigia cornu,  
 Quâ pistris commissa viro.

Et Virgilius lib. 10. Æneid.

Hunc vehit immanis Triton, & cœrula concha  
 Exterrens freta, cui laterum tenuis hispida nanti  
 Frons hominem præfert, in pristin desinit alvus.  
 Spumea semifero sub pectore murmurat unda.

Inter deos marinos etiam *Proteus* censetur, de quo Symb. 48. qui cete, phocas, balænas, & cætera Neptuni pecora pascit. *Phorcus*, seu *Phorcys* aut *Phorcyn* Neptuni filius, aquis & ipse imperat, tanta numerositate populi aquatici, ut Virgilius Nympharum ejus comitatum appellet exercitum. *Ino* quoque Numen est pelagicum, quæ cum filio suo *Melicerta* in æquor se præcipitavit, & ex homine migravit in deam, & nominata est *Matuta* vel *Leucothea*. *Melicerta* verò in deum marinum conversus est, *Portunum* nomine, quod portubus præsideat; Græcis *Palaemon* dicitur, nam λιμὴν portum significat. De hoc Maro lib. 10. Æneid. describens certamen navale, in quo Cloanthus à diis marinis adjutus est.

Et pater ipse manu magna Portunus euntem  
 Impulit: illa noto citius, volucrique sagitta  
 Ad terram fugit, & portu se condidit alto.

Atque ut ad Neptunum redeamus; ejus in æquoreo regno potentiam præ cæteris illustrius depingit Latinus Homerus 5. Æneid.

Jungit

Jungit equos curru genitor, spumantiâque addit  
 Frena feris, manibusque omnes effundit habenas,  
 Cœruleo per summa levis volat æquora curru:  
 Subsidunt undæ, tumidumque sub axe sonanti  
 Sternitur æquor aquis: fugiunt vasto æthere nimbi.

Idem i. Æneid. graviter increpat ventos in mari tumultuantes:

Jam cœlum, terramque meo sine numine, Venti  
 Miscere, & tantas audetis tollere moles?

Quos ego. Sed motos præstat componere fluctus.

Post mihi non simili pœna commissa luetis:

Maturate fugam, regique hæc dicite vestro:

Non illi imperium pelagi, sævumque Tridentem,

Sed mihi forte datum.

Quid sequitur?

Sic ait, & dicto citius tumida æquora placat,  
 Collectasque fugat nubes, solémque reducit.

Jugales Neptuni sunt *equi marini*, quos *hippocampus* vocant, qui  
 eum priores pedes habeant, posterioribus careant, pontum legunt na-  
 tando, teste Papinio lib. i. Achill.

----- & triplici telo jubet ire jugales.

Illi spumiferos glomerant à pectore fluctus,

Pone natant, delentque pedum vestigia caudâ.

Idem finguntur à Platone in *Critia*, alati, quò alludit Maro loc. cit.

Atque rotis summas levibus perlabitur undas.

Apuleius lib. 4. Neptunum invehit delphino maria sulcantem; alii  
 conchæ insistentem, & ante se equos agentem inducunt. Non solum  
 autem Neptunus, sed & alia marina Numina finguntur hippocampis &  
 delphinis liquidos percurrere campos, Plinius lib. 35. c. 5. Nereides  
 exprimit supra delphinos, & cete, & hippocampus sedentes. Idem asse-  
 rit Virgilius de Proteo lib. 4. Georg.

----- magnum qui piscibus æquor,

Et juncto bipedum curru metitur equorum.

Et Tibullus de Thetide:

Vecta est frenato cœrula pisce Thetis.

Hæc de Neptuno, & diis æquoreis. nunc ad mores.

Dddd

Ethica.

## Ethica.

I. (a) Neptunus inter fluctus & procellas sceptrum tenens, undisque & ventis imperans, repræsentat potentiam regiam, subditos pro imperio compescentem; & si orta sit seditio, auctoritate sua reprimentem. Hujus rei paradigma proponitur à sapientissimo poëtarum. 1. *Æneid.* Ibi namque offendit Neptunus maximam vigilantiam, quæ maximè in Principe requiritur, in eo præsertim dominatu, quem frequentes sive popularium, sive exterorum insultus incurfant. Mature Neptunus sensit commotam tempestatem in regno suo: ipse, inquam, sensit, non per suos, sed per suammet vigilantiam. *Ipsè alio prospiciens caput extulit undis.* Ipse vidit *Æneæ* classem disjectam toto æquore: ipse vidit Troas oppressos fluctibus, cœlique ruina.

II. (b) Notandus est animus Neptuni imperterritus ad profligandum & sedandum tumultum. Poëta canit:

----- graviter commotus, & alto

Prospiciens, summa placidum caput extulit unda.

Quomodo placidum & imperturbatum in tam horrenda tempestate?

----- tolluntur ad æthera fluctus,

Franguntur remi, tum prora avertit, & undis

Dat latus: insequitur cumulo proruptus aquæ mons.

Hi summo in fluctu pendent, his unda dehiscens

Terram inter fluctus aperit: furit æstus arenis.

Quid hîc maris Deus?

Emissamque hiemem sensit Neptunus, & imis

Stagna refusa vadis.

Hæc omnia suis oculis aspexit regnator aquarum: non ideo tamen vel animos demisit, vel caput in undas subduxit; sed constanti gravitate perstitit, & ante omnia, quis tantos fluctus concitasset, inquisivit, ut in radice malam opprimeret herbam, & in capite secaret hydram, maxima pars medicinæ est, morbi cognovisse causam. Ergo sequitur

III. (c) Prudentia & sagacitas investigandi turbarum originem. Quænam illa? Poëtam audi:

Nec latuere doli fratrem Junonis, & iræ.

Juno inquam, Juno Neptuni soror æquorea regna turbavit; nimirum

----- manet alta mente repostum.

Judicium Paridis, spreteque injuria formæ.

Odium,

(a) Vigilantia Principis. (b) Fortitudo Principis. (c) Prudentia Principis.

Odiū, quod in Paridem Trojanum concepit, in totā gentem effudit. Tota irarum causa *fastus*, quo inflata, concoquere non potuit sententiam illam Paridis, quam in trium dearum, pro formæ prærogativa disceptantium, pro Venere contra Junonem & Palladem tulit. Mira res! femina tantò plerumque est nocentior, quantò imbellior. Scimus, quantæ sæpe calamitates in provincias ab hoc sexu invecæ sint, aut invehendæ fuissent, nisi providentia gubernantium imminens exitium avertisset. Quas turbas dederunt in Francia Brunehildis & Fredegundis? Quas in Judæa Attalia & Alexandra? quas in Ægypto Cleopatra? quas in Bohemia Drahomira? quas in Germania mater Caroci, aliæque alibi?

IV. (d) Neptunus post deprehensam primariam concitationis causam, quæ Juno fuit, in adjuutores ejus tempestatis vigilem oculum coniecit. Et hi quidem fuerunt Venti. Quid igitur? an lentè aspexit tumultuantes in regno suo? minimè gentium. Ne morā cresceret periculum; turbulenta capita in jus accersit; præ aliis

Eurum ad se, Zephyrūque vocat.

Et ad meritas pœnas deposcit; sed mox severitati miscet clementiam, nam

V. (e) Pro pœna eos acerrimè increpat, & ad Æolum Regem suum exterminat, cum gravissima interminatione, si redituri essent. Quanta vis in verbis istis:

Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?

Jam cœlum, terramque meo sine numine Venti

Miscere, & tantas audetis tollere moles?

Quos ego &c.

Post mihi non simili pœna commissa luetis.

En quo verborum pondere tumidos Ventorum spiritus deprimit: quomodo retundit audaciam è confidentia generis haustam, erant enim *Astræ* gigantis, & *Auroræ* filii. Et cum pater unus ex illis fuerit, qui ex *Tellure* orti, arma superis impia moverunt, quam sibi fiduciam sumerent ad regnum alienum invadendum pessimo genere orti? Exagitationi addit minas, ut sciant, quem læserint, & cui vires suppetant ad ultionem de maleficiis expetendam.

VI. (f) Apparet summa imperantis auctoritas. Nam cum dixisset, *maturate fugam*, ocyus illi se proripuerunt, marique rediit tranquillitas. Quibus rebus exprimitur, quā prudentiā, fortitudine, & potestate præditos esse oporteat magistratus supremos, si quid turbetur

Dddd z

in

(d) Iustitia Principis. (e) Severitas cum clementia. (f) Auctoritas Principis.

in Republica; quàm industrios, vigilantes, & efficaces illos esse par sit, ne cunctando magis perdant rem, quam restituant. Certè Neptunus festinabat opprimere tumultuum excitatores, unde pernicibus labitur rotis, Currúque volans dat lora secundo.

VII. (g) Jubet Æolo ventorum regi renuntiari Neptunus, ut de cætero suos ipse ventos meliùs in carcere frenet, & aliena regna ne inquietet. Subditorum quippe scelera imputantur regentibus: & fit alienæ reus noxæ, qui, cum possit impedire malum, & debeat, tamen conivertet & dissimulat. Ubi locus illi juris regulæ: Censetur ipse facere per se, quod facit per alios.

VIII. (h) Neptunus tanquam Rex potentior monere videtur Æolum, ne causam præbeat graviori bello, cum desint vires resistendo. Requirit enim justitia, ne sumantur arma sine necessitate: neque inferantur, nisi denunciata. Et unde bella, nisi ex cupiditate invadendi aliena? Si quisque sua contentus sorte viveret *Pax alma bearet mundum*. Unde ejusmodi turbatoribus ingerendum, quod Neptunus Æolo auntiari mandavit:

----- tenet ille immania faxa

Vestras, Eure, domos: illa se jactet in aula

Æolus, & clauso ventorum carcere regnet.

Claudent, inquam, ventos, seu ventosos ambitionis & avaritiæ spiritus; tunc & ipsi quiescent, & alios quiescere sinent.

IX. (i) Per Neptunum insuper exprimitur fortis & intelligens reipublicæ gubernator, qui ad clavum sedet, navimque flectit, ac reflectit, perque fluctus & procellas salvam expedit. Nam quid aliud est tot provinciarum, catuúmque hominum in mundo varietas, quàm mare, variis populorum moribus ac motibus agitatam ac fluctuans? Igitur Neptuno, hoc est, Navarcho & gubernatore solerti & prudenti indiget, qui rempublicam, velut ingentem populorum navim, in æquore vasto moderetur & regat, ut scilicet inter cives pax & concordia constet; ut vicini vel amici sint, vel subditi; ut schismata, seditiones, conjurationes, hæreses, pravi mores caveantur, tollantur, opprimantur. In hoc mari *Anchora* est Religio, *funes* sunt Leges, *vela* sunt Sortes & Opes civium, quæ vento secundo, id est, fortunæ faventi permittenda, adversâ constringenda. De Neptuno, Ventos tempestatis concitatores reprimente elegantem similitudinem inducit Poëta, à gubernatione reipublicæ desumptam: Ac

(g) Peccatum indulgentia in Principe. (h) Prudentia polemica. (i) Sapiens magistratus.



Ac veluti magna in populo cum saepe coorta est  
Seditio, saevitque animis ignobile vulgus,  
Jamque faces & saxa volant, furor arma ministrat:  
Tum pietate gravem ac meritis si fortè virum quem  
Conspexere, silent, arrectisque auribus adsunt:  
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Mira vis eloquentiae cum probitate conjuncta, praesertim in magistratu. Hac Tullius Catilinae furorem repressit. Hac Quintius Consul Rom. impetum & contentionem sustulit, cum adversus Appium, concitante Lectorio tribuno, plebs cum vociferatione & corporum protrusione, manuum rixa, & jactu lapidum saeviret. Hac M. Popilius Consul ejusdem plebis tumultum contra patres sedavit. Hac Pericles seditiosam concionem non semel compescuit & pacavit. Atque ut in mari pisces minores devorantur à majoribus (nam teste Aristotele lib. 9. hist. animal. c. 2. ineunt praelium pisces majores contra minores: major enim quisque & robustior, minorem deglutit.) Ita solet accidere in republica: infirmiore opprimit potentior; minor sit praeda majori. Quod ne fiat opus est providentia, vigilantia, & auctoritate Neptuni seu Praesidis bonum publicum curantis, & justitiam fortiter propugnantis.

X. (k) S. Basilius homil. 12. in illum Prov. locum c. 1. *Intelligens gubernacula possidebit.* Triplex assignat mare allegoricum. *Primum*, ait, est hoc saeculum, in quo fortunae lusus dominatur, dum instar fluctuum hos extollit, illos deprimat. In hoc mari navis est quilibet homo, & hominis fors prospera vel adversa. *Secundum* mare est cor humanum, quod diversissimis affectibus, cogitationibus & desideriis, velut mare aestibus assidue agitur, fluctuat, effervescit. In hoc mari navis est ipsa mens & voluntas. *Tertium* est vitae cursus, viaque, quam pergimus in caelum, quam obsident daemones, quasi piratae; ut navim cum mercibus, id est animam cum bonis operibus praedentur vel mergant. Hac S. Basilius. Et verò, ubi primum nati sumus, huic mari committimur, per tot undas vchendi, quot dies aetatis: per tot fluctus & procellas volvendi, quot horae fluunt & momenta. Pauci ad desideratae felicitatis portum appelluntur. Nam sicut in procelloso pelago ab omnibus elementis timenda sunt pericula: aer ventis commovet fluctus: terra naves vel impingit scopulis, vel atterit salebris, vel retinet vadis: ignis in naves fortè coniectus tenacissime haeret, easque magno cum fragore disiciit: aqua vectores nunc ad caelum attollit, nunc ad

Dddd 3

ima

(k) Triplex mare, in quo jactamur.

ima deprimat: faldedine naufeam movet, monftris, bellisquẽ marinis terrorem incutit, & denique naves evertit. Ita vitam noftram ceu mare turbulentum incurrunt mille cafus adverfi. Optimẽ Romanus Sapiens, Confol. ad Polyb. c. 10. In hoc profundum, inquietũmque projecti mare, alternis ætibus reciprocum, & modò allevans nos fubitis incrementis, modò majoribus damnis deferens, affiduòque jactans. Nunquam ftabili confiftimus loco, pendemus & fluctuamus, & alter in alterum illidimur, & aliquando naufragium facimus; femper timemus. Divinus Vates Zacharias c. 10. Pertransibunt, ait, *in mari angufto*. Non fretum Gaditanum, non Propontidis anguftiæ superandæ: fed inter faxa & fymplegadas variarum cupiditatum, inter fcopulos vitiorum, ubi anguftiæ funt undique, nobis eluctandum eft. Quot in moribus fcele- ra, tot in hoc mari vagantur monftra, inter quæ præcipuè dominan- tur tria. 1. *Spumans Luxuria*, ut ait Hugo Cardinalis in S. Lucæ c. 21, nam Venus ex fpuma maris originem habet. 2. *Tumens Superbia*, plal. 92. *Mirabilis elationes maris*, id eft, animi, faftu inflati. 3. *Fervens Avaritia*; quæ eft æftuarium quod nunquam quiefcit: accedit & recedit unda; nunquam habet fatis. Et hoc in pelago, hæc inter monftra, quàm triftia videmus accidere naufragia? Infelices nos, exclamat Auguftinus Soliloq. c. 35. *quorum via eft in exilio, via in periculo, finis in dubio*. Quis evadet, nifi Portunus ei fit Ratio, nifi Neptunus fit undipotens ille Deus, qui *ventis imperat & mari, & obediunt ei*? Matth. 8. *Et facta eft tranquillitas magna*. Tanta vis ineft vel unico verbo, quiefce; De Neptuno Maro:

Sic ait, & dictò citius tumida æquora placat.

